

ctā autem remissione injuriæ non intelligitur condonatio damni, nisi aliunde constet.

CAPUT V.

Quid sit restituendum pro illato damno per stuprum, & adulterium.

46. *Quest. 1.* Quid teneatur restituere, qui virginem per injuriam violavit? R. 1. is, qui virginem repugnantem violavit, tenetur tam puellæ; quam parentibus omnia damna reparare, tam honoris, quam fortunæ ex c. *Si culpa de injur.* Hinc si promisit ei nuptias, ad eas tenetur; quod si nubere non promisit, tenetur aut eam ducere aut talem ei dotem numerare, ut puella bene nubet, ac si violata non fuisset. Imo potest a Judice obligari ad eam in uxorem ducendam in pœnam criminis ex c. 1. *de adult.* justa ea, quæ olim sancita sunt Exod. 22. *Si seduxerit quis Virginem; dormieritque cum ea, dotabit eam, & accipiet eam in uxorem.* In dubio autem, an puella prius ab alio corrupta fuerit; præsumitur integra, donet aliud probetur. Quod si puella, clam ab alio corrupta fuerit, is qui eam per injuriam violaret, adhuc tenetur eam ducere, vel dotare, atque idem dico de vidua honestæ famæ, si ex ejus injusto concubitu suæ famæ jacturam faciat.

47. R. 2. Si virgo libere consensit, violator nihil ei debet restituere, quia volenti, & libere consentienti non fit injuriam ex reg. 27. *juris in 6.* An vero teneatur aliquam Parentibus

satisfactionem præbere, si crimen resciant? affirmant aliqui, eo quod violetur jus parentum circa integritatem filiæ; atque in hac sententia videntur fuisse S. Antoninus 2. p. tit. 5. c. 6. & D. Th. 2. 2. q. 154. a. 6. ad 3. dicens: *Injuriam facit (deflorator) patri puellæ, unde ei secundum legem tenetur ad pœnam, nimirum ex Deut. 22.* Sed ea pœna locum non habet, nisi post judicis sententiam, ut animadvertit D. Antoninus. Itaque communis, & recepta opinio negat a violatore quicquam deberi parentibus; tum quia puella, cum sit domina sui corporis, nullam irrogat injuriam Patribus, stupro consentiens, licet peccet contra pietatem, ac reverentiam eis debitam; tum quia violans sentientem, injuria eam non afficit, neque parentes ejus.

48. Tenetur tamen sarcire damnum, quod puellæ, & parentibus ejus obvenit, si deflorator rem propalaverit, ut recte ajunt Layman, & Salmant. Pariter: si puella valde pauper sit, & ille dives, ita ut pactum quoddam tacitum intercessisse credatur, dandi aliquid puellæ dotis gratia. Tandem si Judex sententiam ferat contra ipsum, damnando eum ad dotem persolvendam. Atque hæc de viro sine vi stuprum Virgini inferente. Quod si importunis precibus, vel muneribus, aut promissis eam ad consensum induxerit: aliqui volunt, virum teneri ad ducendam eam, vel dotandam, quia illæ cum violentia comparentur. Negant tamen DD. communiter, quia nec promissa, nec munera, nec preces non tollunt, nec minuunt graviter voluntarium, adeoque puella omnino sponte consensit. Excipe, ni-

si ad preces adjiciantur minæ, aut gravis reverentiæ metus, quæ cum vi quodammodo comparantur, licet omnino libertatem non tollant.

49. *Quæst. 2.* An qui per fictam promissionem matrimonii virginem corrupti, teneatur eam ducere? Affirmant communiter DD. cum S. Th. in Suppl. q. 46. art. 2. & D. Antoninus p. 2. tit. 5. c. 6. quia nisi eam ducat in uxorem, corruptor nunquam reddet ei æquale, nec damnum ex integro reparabit. 2. quia in contractibus innominatis, *do, ut des, facio ut facias*, quod alter ex sua parte implevit, tenetur alter implere ex justitia, quamvis fecte contraxerit. Ut enim humanum commercium infinitis fraudibus non sit obnoxium, æquitas, & ratio boni communis postulat, ut decipientes in pœnam fraudis obligentur reddere omnino indemnes a se deceptos, ac si nulla fraus intercessisset.

50. Excipiuntur ab hac obligatione 1. qui promissione ita ficta virginem corrupti, ut vel ex verbis ambiguis, vel ex aliis signis facile potuerit illa conicere, se ab illo decipi; ut si ipsa plebeja sit, & pauper, alter locuples, & nobilis. Ita S. Th. in 4. dist. 28. ar. 2. ad 3. ubi ait: *non teneris ducere, si sis multo melioris conditionis, aut aliud signum evidens fraudis fuerit.* Damnum tamen sarciri debet dotis accensione, ut honeste possit collocari. 2. excipitur ab obligatione matrimonii vir, si feminam postea cum alio fornicetur; quia promittenti facit injuriam, & justam præbet causam recedendi. 3. quoties supervenit notabilis mutatio, seu causa gravis, sufficiens ad rescindenda sponsalia. 4. quando ex nuptiis

grave oriretur scandalum, damnum, aut rixæ in familia, ut evenire solet, si vir sit superioris conditionis. Denique si puella nolit nubere, aut parentes repugnent; nec tunc eam dotare tenetur communi sententia, si sit æqualis conditionis ex reg. juris 41. *imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*

51. *Quæst. 3.* Ad quid teneatur, qui sub promissione matrimonii violaverit consanguineam? R. si vir promisit matrimonium sub pacto expresso petendi dispensationem, & tale sit impedimentum, ut Pontifex nunquam, vel raro soleat dispensare, prout evenit in primo, vel secundo gradu transversali; promissio est invalida, atque alia non est obligatio, quam resarciendi damna. Quod si tale sit impedimentum, ut Pontifex soleat dispensare, vir tenetur petere dispensationem; quia matrimonium sub ea conditione promissum re vera est possibile; & aliunde contractus licet invalidus sit pro tempore impedimenti, est tamen validus respectu ad tempus, in quo auferatur impedimentum, ut videre licet in aliis contractibus. Id quod verum est; inquit Lugo, etiamsi in promissione matrimonii nulla fuerit mentio facta dispensationis; intelligitur enim tacita conditio petendi dispensationem, modo impedimentum notum fuerit promittenti.

52. Quid vero si stuprator fecte promisit matrimonium cum pacto impetrandi dispensationem? R. teneri ad matrimonium ratione fraudis, nisi Virgo facile potuerit fictionem animadver-

tere. Id quod verum est, etiam si promittens matrimonium, ignoraverit impedimentum, quando ignorantia noxia fuit, & culpabilis: secus vero si innoxie ignoraverit, & impedimenti dispensatio nequit haberi sine gravi incommodo tunc enim satis est aliter damnum compensare.

53. *Quæst.* 4. Ad quid tenetur adulter, R. 1. uterque adulter, nata eis prole, tenetur reparare damnum, inde illatum tum conjugii, tum legitimæ proli circa sustentationem, hæreditatem, cet. quatenus id possit sine gravi detrimento superioris boni, & causa majoris mali. Hinc mater tenetur filium spurium lactare usque ad tertium annum; postea vero pater debet eum nutrire, nisi ipse sit impotens; tunc enim tenetur mater. Sæpe autem adulter excusatur, vel quia non est certum, filium esse suum; vel quia compensatio damni fieri nequit sine vitæ suæ periculo, gravi detrimento famæ, perturbatione, & discordiis familiæ.

54. R. 2. Adultera ut plurimum non tenetur prodere, quod proles ejus sit spuria; nam & viro suo tristitiam, & sui odium, & discordias domesticas crearet, ac famam suam prodigeret, quibus damna fortunæ merito cedunt. Debet tamen, quoad fieri possit, aliis viis damnum proli legitimæ compensare. 1. diligentius rem familiarem administrando. 2. de cultu corporis nonnihil detraendo. 3. si habet bona propria, plus legitimis, quam spuriiis relinquendum. 4. spurium inducendo, ut amplectatur statutum Ecclesiasticum, si sit idoneus, relicta hæreditate. Hæc dicta sint, quando mater se nequit

prodere sine gravi damno, ut communiter evenit, & ideo in jure Canonico c. officii 9. de penit. & rem. dicitur: mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscipit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est penitentia deneganda.

55. Fieri tamen potest aliquando, ut foemina teneatur se prodere; scilicet, si alioquin magnum exinde oriri possit Reipublicæ damnum, nempe si spurius sit perditis moribus imbutus, & succedere debeat regimini, aut principatui. Item si mater se manifestando filio spurio, speret se apud ipsum fidem habituram, adeoque illum bonis cessurum absque magna infamia, vel detrimento matris. Denique, quandocumque mater ex sui manifestatione gravem non timeat infamiam, vel aliud gravi sui damnum, quod satis sit ad eam excusandam a compensando damno legitimæ proli. Utrum autem proles teneatur credere Matri testanti se esse illegitimam, disputant AA. Communissima tamen, & probabilior sententia asserit filium non teneri fidem adhibere matri, etiam id juranti; cum nequeat deturbari a possessione legitimatis, nisi aliunde convincatur, ut constat ex lege *filium ff. de his, qui sunt sui.*

56. *Quæst.* 5. An si adulteri sint divites, & exponant proles hospitalibus, teneantur ipsis expensas reficere? Affirmant multi cum Lugo, Molina, Lessio, & aliis, quia pia hujusmodi domicilia pro pauperibus sunt instituta. Idem docet Layman, si pauper sit hospitalis domus, secus vero si sit opulenta. Mihi vero probabilior videtur opinio id negans; quia hæc hos-

pitalia etiam sunt instituta ad subveniendum divitibus in infamiae periculo, in quo ipsi solent vel procurare abortum, vel prolem necare, ne infamia notentur; cui malo, & filiorum periculo non satis esset provisum, si adulteri ex proprio aere deberent eos alere.

57. *Quaest. 5.* An cum dubia sit proles, adulter ad restitutionem aliquam obligetur? Negat communis sententia, quia matrimonium possidet, & filius legitimus putatur, quandiu certo non constet contrarium. Idem valere ajunt multi, si dubium sit inter duos adulteros, cujusnam sit proles. Nemo enim tenetur ad restitutionem damni, cujus esse causam certo moraliter non constet. Nec refert, unumquemque ex eis posuisse actionem injustam, quae satis est ad efficiendum damnum; nam ad obligationem certam restituendi non sufficit actio injusta, ex se apta ad dampnum, sed requiritur, ut re ipsa illud intulerit, quemadmodum ex D. Th. aliud docuimus. Quod autem nullus sit, qui prolem alere teneatur, cum incertus est pater, id est omnino accidentarium. Quandoque autem evenire potest, ut adulteri ad restitutionem pro rata dubii teneantur, v. g. si ex communi consilio, aut aliter advertentes damnum, quod proli accidere potest, damnum illud velint, ut notat Elbelcum Lugo, & aliis.

58. Nota, adulterum esse obligatum ad reparanda damna legitimae proles, etiamsi matri suppositionem ipse non persuaserit. Ratio est, quia nihilominus est vera causa damnorum exinde emanantium; cum ad actionem genera-

tionis primo concurrerit, & quidem injuste, unde in matre orta est causa deceptionis. Uterque igitur ad reparationem damni obligatur, & in defectu unius alter tenetur. Ita communis omnium fere DD. sententia.

CAPUT VI.

Quid sit restituendum pro injuriis famae, & honoris, & aliorum bonorum spiritualium.

59. *Quaest. 1.* An qui honorem, aut famam alterius injuste læsit, teneatur restituere in eodem genere, an etiam in alio? R. certum est, eum, qui famam læsit per injuriam, debere famam ei restituere. Certum est etiam, debere compensare omnia damna, quae ex læsione famae orta sint ei in bonis fortunæ, vel corporis, ut constat ex dictis. Quid vero si famam, vel honorem ablatum compensare nequeas? Multi docent, eam esse sarciendam per pecuniam vel alia fortunæ bona; cum justitia videatur exigere ut qui non possit totum damnum reparare, illud qua parte possit compenset: pro qua sententia citatur D. Thomas 2. 2. q. 42. ar. 2. Verum communis sententia excusat ad restituendum in alio genere; eo quod justitia commutativa solum obliget ad compensationem juxta æqualitatem damni illati, quae quidem æqualitas esse non potest, si fiat in alio genere. Porro de læsione famae dicemus, ubi de octavo præcepto.

60. *Quæst. 2.* Ad quid teneatur, qui alium induxit ad peccatum? R. qui id egit fraude, dolo, injuste metu, cet. ex justitia obligatur ad revocandum eum ad meliorem statum. Quod si vel suasionem suam, vel exemplo absque dolo fecit, ad id tenetur ex sola caritate, quoad ejus fieri potest. Hinc qui aliquem (etiam Novitium) abduxit ab ingressu Religionis sine vi, & fraude, etsi graviter peccarit, ac teneatur ex lege caritatis ei rursus ingressum suadere; non tamen ex justitia, vel illi, vel Religioni tenetur, quæ nullum adhuc in eum jus acquisivit. Secus vero qui per vim, aut fraudem a Religione averit, qui & tenetur ejus damna reparare, & si quæ inde obveniunt damna Monasterio, ut probabilius docet Lugo.

61. *Quæst. 3.* Quid teneatur Beneficiarius restituere ob omissionem Divini Officii? R. in Conc. Later. sub Leone X. Sess. 9. §. *Statuimus*, hæc habentur: *Statuimus quoque, ut quilibet habens Beneficium, si post sex menses ab obtento Beneficio, officium Divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus non faciat suos prorata omissionis recitationis Officii, & temporis.* Deinde S. Pius V. in Const. quæ incipit: *Ex proxima Lateranensi* sic ait: *statuimus, ut qui horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserint; omnes beneficii fructus, qui illi, vel illis diebus responderent; qui vero matutinum, tantum dimidiam, qui ceteras alias horas, aliam dimidiam; qui horam singulam, sextam partem fructuum ejus diei amittant, tametsi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus horis canonicis*

cum aliis præsens adsit, fructusque, & distributiones forte aliter assignatas sola præsentia, juxta statuta, consuetudinem, vel alias sibi lucrari fecisse prætendat. Is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem, grave peccatum intelligat se admisisse. Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse, cet. Hujusmodi autem restitutio certe debetur ante judicis sententiam, ut patet ex damnata prop. ab Alex. VII. *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pæna.*

62. Ex præjactis R. Pontificis declarationibus facile solvi possunt quæstiones variaz, quæ super hoc argumento vertuntur. 1. an Beneficiarius, fructus non percipiens, teneatur ad horas recitandas? Negat communis sententia, nisi fructibus privetur in pœnam criminis, aut spem certam habeat exigendi fructus annis sequentibus. 2. an lite vertente super Beneficio sit obligatio recitandi? In quo distinctione aliqua opus est: nam si Beneficiarius adeptus est possessionem beneficii, & spem habet moraliter certam de litis victoria, profecto tenetur, ut nemo negat. Secus vero si aut non accepit possessionem, aut illa accepta, in dubio sit, cuinam erunt adjudicandi fructus; cum non sit æquum, ut onus subeat certum ob mercedem incertam. Beneficium autem usque dum liti subjicitur, habetur pro vacante, ut ait Concina T. 7. pag. 411. Excipe, nisi per ipsum stet, quo minus posses-

sionem adeat, aut litem vincat. 3. an omittens officium sine culpa, teneatur ad restitutionem? Quicquid aliqui dixerint, negandum est cum communi DD. eo quod privatio fructuum sit pœna tantum Ecclesiastica, quæ aliquam omnino culpam requirit. Et ex eadem ratione non tenetur ad restitutionem, qui officium prætermisit intra sex primos menses, quia lex Ecclesiæ eos tantum comprehendit, qui omiserint post primum semestre. Nec ideo culpa gravi vacabunt, officium ita negligentes.

63. 4. An Beneficiarius uno die non recitans, possit alio die supplere? Et quidem hunc graviter peccare, extra controversiam est. An vero a restitutione posset excusari, dubitarunt aliqui. Nobis tamen adhaerendum est opinioni communi, ac probabilissimæ, quæ ipsum ad restituendum obligat; quia onus officii est additum diei; & hæc fuisse videtur mens S. Pii V. dum sancivit, non facere fructus suos, qui horas *Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit*; quo verbo *intermiserit* satis significavit, non lucrari fructus, qui officium uno die intermisit, licet in altero supleat.

64. 5. An omittens partem aliquam unius horæ, obligetur ad restitutionem? Respondetur, eum quidem obligari, qui gravem, seu notabilem partem horæ relinquat, cum ille vero non recitet horam Canonicam; secus vero si pars omissa sit levis. Et hoc verum aliqui putant, etiamsi partes in singulis horis prætermisæ, simul acceptæ constituant materiam gravem. Contrarium tamen mihi verius videtur, cum in

Conc. Later. præcepta fuerit restitutio *pro rata omissionis Officii*; adeoque plures licet in se leves partes officii relinquens, quæ materiam gravem constituent, omittit partem officii notabilem. Nec opponitur decretum S. Pii V. qui nihil de Later. Constit. imminuere, vel immutare volens, solum declarat, quidnam pro singulis horis sit restituendum.

65. 6. An teneatur ad restitutionem Beneficiarius, qui officium absque debita attentione recitat? Certe affirmandum de eo, qui sine externa recitat attentione, oculos, & animum alio sponte distrahens. De illo autem, qui solum interius distrahitur, gravis est quæstio, de qua postea fusius agendum. Interea cum res sit dubia, censeo, non esse urgendum ad restitutionem Beneficarium, qui bona fide fructus percepit. Quid vero si Beneficiarius sit excommunicatus? Profecto si tempore collationis erat excommunicatus, collatio fuit nulla, adeoque non potuit fructus percipere. Quod si post collationem incidit in excommunicationem, restituere non tenetur, nisi post iudicis sententiam, ut probabilior sententia docet.

66. Sed cuinam, dices, facienda est restitutio pro omissione Horarum? R. pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ ex decreto S. Pii V. Pauperum autem nomine comprehenduntur etiam animæ defunctorum, atque ipse etiam Beneficiarius, qui re vera sit pauper, modo ille in fraudem officium non omittat. Dubitatur autem, an Beneficiarius teneatur restituere omnes omnino fructus, an eos tantum, qui respondent

oneri officii omitti. Et quamvis Suarius, Valentia, alique velint restituendos esse fructus omnes juxta officia, quæ quisque omisit, usu tamen receptum est contrarium; cum non tantum fructus percipiuntur pro onere recitandi, sed pro aliis quoque Ecclesiæ oneribus. Quod intelligendum non est de simplici Beneficiario, ut ait Lessius, sed de iis, qui præter horas Canonicas alia habent onera. Jam vero habens tenue Beneficium censetur in jure quasi non esset Beneficiarius. Tenue autem dico Beneficium cum Viva illud, qui non præstat saltem tertiam partem victus. De obligatione Canonicorum, qui choro non assistunt, vel non assistunt, ut par est, consule Auctorem in fide hujus capituli.

CAPUT VII.

De circumstantiis restitutionis.

67. *Quæst. 1.* Quando facienda est restitutio? R. quam primum fieri commode possit, hoc est, sine gravi incommodo, quod quis pateretur in re sua propria ultra debitum. Hinc solutionem differre in contractibus ultra prænitum tempus, aut in mutuo, si tempus sit conventum, est grave peccatum; nisi dilatio brevis sit, aut consentiente domino. Quod si tempus non sit conventum, non peccat graviter debitor, non restituens, donec a creditore moneatur; nisi iste ob timorem, oblivionem, aut impotentiam monere desinat; aut obligarit se

debitor cum juramento, cum hoc ex se quam primum obliget. Monent tamen De-Lugo, & alii, non esse damnandum de culpa gravi, qui differt solvere debitum ex contractu sine gravi damno creditoris, etiam petentis, quia tunc ei non videtur fieri gravis injuria. Quid si debitor habeat justam causam differendi? eritne obstrictus ad compensandum debitori damnum, ortum ex dilatione? Affirmo, si debitum ortum sit ex delicto, quia prima acceptio fuit injusta causa damni; nego vero, si debitum non fuit ex culpa ob contrariam rationem.

68. *Quæst. 2.* Ubi, & quibus sumptibus restitutio est facienda? R. 1. debita ex contractu eo loco solvi debent, de quo inter partes sive expresse, sive tacite conventum est. Bonæ fidei possessor satisfacit, si restituat in loco, ubi rem possidet, citra contractum. Possessor autem malæ fidei, v. g. fur debet suis sumptibus ad eum locum rem deferre, ubi alter habiturus fuisset, si non fuisset ablata; deductis tamen expensis, quas alter eam servando, vel deferendo, debuisset facere. R. 2. si fur rem transferendo plus deberet impendere, quam res valet; affirmant adhuc multi, rem esse domino reddendam; sed negant alii, quia plerumque præsumi potest mens esse domini, ut restituatur pauperibus, vel in usus pios expendatur.

69. *Quæst. 3.* An Confessarius debeat Pœnitentem absolvere, antequam restituat? R. Habenda sunt præ oculis, quæ recte monuit S. Th. de Villanova fer. 6. post. 4. Dom. Quadrag. Prius er-